



De Baccalaureatu philosophi 46
in Acad. Lips.

85

47

AD
Solemnem eamq,
XVI. BACCALAUREORUM
Declarationem

DECANUS
COMMUNITATIS
PHILOSOPHICÆ
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

1659

670

Lectores,
Pro eo ac debet,
Vult invitatos.

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.
M DC LIX.

7.223

45

4,30

4,30

LITTERIS BREITKOPFIANIS.





SI quis fuerit, qui BACCALAUREUM tanti ducendum arbitretur, ut ejus considerationem in animum suum inducat, multos sanè de ipso sensus offendet. Nam huc quoque scitè quadrat, quod cecinisse legitur, qui Latinum se Fidicinem ipse nominavit:

Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est,
unde nimirum suum BACCALAUREUS cepit exorsum. Fuerunt enim contendentes, esse duob. è Nominibus Nominis Hoc, è Bacca scilicet atque Lauro, coagmentatum. Fuerunt, qui eam opinionem tenerent, ut id à Baculo derivatum existimarent. Exitit, qui hac in sententia esset, ut à Bacellario deflexum putaret. Quib. dissimiliter sentisse legere est Virum Illum Praclarissimum, quo decedente doctior nemo in Hispania perhibetur super fuisse; Johannem videlicet Ludovicum Vivem, utpote qui BACCALAUREUM à militia crederet profectum. Qui enim à Græcis *πρῶτον* nomine notantur, qui nempe castra seqvi ac velitari cœpissent, semelque cum hoste conflixissent, hos à Veteris Gallorum Lingvæ Vocabulò Batalà vel Battalò prælium significante Batalarios & Battalarios, Neue oder junge Kriegsmänner appellatos scribebat. Unde postea contigisse judicabat, ut in Pervertusta Parisiorum Universitate, ubi Scholasticarum Dignitatum initium factum, Batalariorum & Battalariorum Nomen Studiosis imponeretur. Nec iis quidem *τοῦτον* & quibusvis, sed illis saltem, qui in Disciplinis ad Humanitatem pertinentibus rudimenta & quasi tirocinium posuissent, manūque cum inscitia tanquam hoste confertâ. Publicâ Disputatione eruditionis suæ specimen dedissent. Verum ignorantia & consuetudine, cujus, Cicerone agente, *magna vis est*, evenisse opinabatur, ut Battalarius depravaretur, ac pro eo primùm quidem Baccalarius, deinde autem BACCALAUREUS Latinum in Sermone induceretur. Hæ igitur diversorum sunt de BACCALAUREI origine Sententiæ, è quibus quam reliquis verisimiliorem Lector censuerit, eam seqvi per Nos licet Nobis nullam de iisdem *ἐπιχειροῦν* & iudicium assumentes, sed facientes ad alia progressum. BACCALAUREUS igitur esse dicitur Studiosus, confectio Literarum Humanitatis tirocinio

85
47

ciniō in celebritate Academiae publicum sui in illis ipsis profectus te-
stimonium, ac facultatem in inferiore Cathedrā Disputationem ha-
bendi consequutus. Unde facillimum autumamus intellectu esse,
quidnam sit BACCALAUREATUS. Honor nempe Academicus Studioso,
legitimae parentum suorum Suboli, post positum ab ipso Disciplinar.
Liberalium tirocinium tributus, quo ipso ipsi unā cum publico eru-
ditionis testimoniō copia datur in imā cathedrā disputandi, nec non
exsequendi, quicquid Huic Ordini convenit, alios inflammandi ergo,
ut omne suum studium curāque ad operam doctrinae percipiendae
convertant. Cui quidem hoc boni non evenit, ut à quorundam ini-
quitate flagellō esse queat immunis. Nam vivere comperimus, à
quibus is non solum immeritissimō contemnatur, sed in contemtionem
quoque innocentissimē adducatur; & eos, quos par est ipsum
non nihili, si non magni, aestimare. Nos verò ipsius eam esse ratio-
nem statuimus, ut à quolibet Studioso videatur expetendus. Etenim,
si quid rei est, quod ita se habet, ut cum honestate consentiat, illud
verò est, quem diximus, BACCALAUREATUS. Est enim perinde, ut Li-
centiatura, Magisterium, ac Doctoratus, non tantum *τοκμήλιον* & argu-
mentum, sed *ἄδλον* quoque ac praemium *Virtutis*; illius scilicet habitus,
quo Vir bonus efficitur ad munus suum bene ac laudabiliter obeundum.
Cujus ipsius etiam Autores sanè non ignobile vulgus, nec alii infi-
mae notae homines, sed ii de Majoribus Viri fuere, qui tantā erant sa-
pientiā & prudentiā praediti, ut eā ceteros longissimis anteirent in-
tervallis. Quo ipso quidem ad naturam naturaeque imitricem ar-
tem proximè accessere. Nam in immensā amplissimi Mundi machi-
nā invenire nihil licet, quod temerè atque inconsultō agere dici pos-
sit natura. Etenim semper ac ubique hac utitur consuetudine, ut,
quicquid usquam producit, & eundem ad modum, & sapientissimè &
pulcherrimè id producat. Quod quum non tantum hominis & reli-
quorum animalium generatio, sed & plantarum & metallicorum &
meteororum, & si quid est aliorum corporum naturalium, procrea-
tio planum faciat, ei non immoramur, sed artem etiam ob finem a-
gere asseveramus. Etenim & Medicina id facit, & Artes dicendi id
faciunt, & Pictoria id facit, & Sartoria id facit, & Sutoria id facit, & Te-
xtoria id facit, & Mechanicarum reliquarum quaelibet id facit. Quo-
rum utrumque exploratè perceptum & cognitum Illi erat, qui etiam-
num optimi finis ac praestantissimae perfectionis, quam Graeci *ἄριστον*.

A 2

20

λ^ο nominant, nomine appellatur. Quæ causa erat, quare obrem hoc literis mandaret: *ἡ φύσις ἔδεν ἀλόγως ἔδὲ μάτην ποιεῖ*, quod, si quis interpretetur, sonat: natura nihil absque ratione ac frustra facit. Nec hoc duntaxat, sed istud etiam: *ἡ τέχνη μιμῆται τὴν φύσιν*, quod est, si quis è Græco in Latinum velit conversum, ars naturam imitatur. Quam naturam, quam artem Majores amulati sunt, qui BACCALAUREATUM in Academiis introduxerunt, quippe qui nec ipsi Literarium Illum Gradum sine causa introduxerunt. Voluerunt enim eundem *ὀρμητικόν* esse Juventutis Academicæ ad curam, meditationem & diligentiam in Bonarum Artium & Disciplinarum studiis adhibendam. Etenim quandoquidem nemo, nisi quis ignavissimi fuerit ingenii, non *φιλοδοξία* & *φιλοτιμία* reperitur, fit adeo exinde, ut gloriæ atque honoris consequendi spe quilibet vehementer excitetur. Quod nequaquam Illum fugit, circa quem floruit, quicquid Romana Facundia habebat, quod insolenti Græciæ aut opponeret aut præferret, Ciceronem nimirum. Hic enim, *honor*, inquit, *alit artes, omnesq; incenduntur ad studia gloriæ; jacētq; ea semper, quæ apud quosq; improbantur.* Quod ipsum nec Pythagoricum Illum latuit Philosophum, Porphyrii Discipulum Jamblichum, cujus hoc esse ferunt: *πάντὸ τιμώμενον αὐξεται, ἐλαττῆται δὲ τὸ ἀτιμώμενον*, quod est: incrementum capit, quicquid honore afficitur: quicquid autem in nullo habetur honore, accipit detrimentum. Unde accidit, ut existeret, qui hoc literis consignaret: *Honores Academici sunt premia studiorum ab eo, qui potestatem conferendi habet, collata Viris Candidatis idoneis & per examina probatis in testimonium eruditionis & excitationem aliorum ad eandem diligentiam, adhibitis certis solennitatibus & privilegiis.* In quibus quidem extremas tenere BACCALAUREI Titulum non inficiamur, sed ipsum eum esse asseveramus, quem sibi à Communitate Nostrâ conferri Liberalium Artium quilibet Studiosus petat, quum ipsum ab Eadem possit facile impetrare, si se sic gesserit, quemadmodum Statuta Ejusdem requirunt. Si videlicet sesqui annum posuerit in Publicâ Doctrinâ ita adeundâ, ut Semestriū primò quidem Lingvarum Latinæ ac Græcæ, Dialecticæ, atq; Poëticæ; secundò a. denuò Lingvarū Latinæ ac Græcæ, Dialecticæ, atq; insuper Rhetoricæ; tertio verò Poëticæ, Rhetoricæ, Physicæ, ac Mathematicæ Professore audierit. Si Bonor. Autorum enarrationibus, quas Diebus Canicularibus, ubi per Universitatis Statuta Professoribus Publicis feriari licet, BACCALAUREI suscipiunt, crebrò interfuerit. Si publicas quindecim Magistrorum & triginta BACCALAUREORUM Disputatio-

85
47

nones accesserit. Si in publicis Disputationibus BACCALAUREORUM quidem semel atque iterum : Magistrorum autem quater Respondentem egerit. Si Rhetoricis Exercitationibus, quæ Declamationes vocantur, sedulo affuerit. Si Latinam & Græcam Lingvas, Dialecticam, Rhetoricam & Physicam, Arithmeticam, atque Sphæricam Doctrinam rudimenta cognoverit. Si naturam convenienter ac laudabiliter vixerit. Si super vitam bene actam & diligentiam privatim ac publice ad discendum Literas collatam testimonia Curatoris, Privati Præceptoris, atque Professorum Publicorum collectam ad Decanum attulerit. Si natiuitatis suæ honestatem iurejurando confirmaverit. Si denique examini τεταμέτω & trium dierum se submiserit. Hæc enim omnia postulat à BACCALAUERATÛS Petitore Illa Academia Philuræ Communitas, quæ sibi vindicat Liberalium Studiorum & Disciplinarum explicationem ac gubernationem, quod ex Ipsius Statutis, quæ à Cuiusvis Semestris Decano præleguntur, liquidò apparet. Ista igitur omnia quum quis præstiterit, Nostrò in Athenæo facile fieri quibit, ut paucis ille Joachimicis BACULARII nomine insigniatur, quod eximium fructum non habere qui opinatur, perperam opinatur. Etenim simul atque quis Philosophicæ Facultatis Hac in Academia autoritate Optimarum Artium & Philosophiæ BACCALAUREUS creatus est, continuo penes ipsum potestas est in Inferiore Majoris Principum Collegii Auditorio sese exercendi, suique ingenii virium periculum faciendi. Habet enim potestatem Inferiorem modo laudati Auditorii Cathedram Saturni ac Solis Diebus occupandi, atque pomeridianarum Disputationum Præsidis munere fungendi. Licitum est ipsi in subsellio, ut moris est, aliis assidere, cumque his in solitam Publicarum Disputationum Palæstra, seu in perpetuo Collegio Disputatorio, contra proposita argumentari. Permissum est ipsi probatum quodpiam & utile Boni Autoris Scriptum tempore illo explicare, quo suam Ordinariam & Publicam Doctrinam apud Nos antiquam consuetudine Professores intermittunt. Huiusmodi ergo & id genus alia exercitia suscipiendi copia Nostris BACCALAUREIS est, quæ quantum insignis afferant utilitatis, supervacuum censemus recensere, quandoquidem id omnes quidem commemorare non possunt, qui ea non neglexerunt. Quo ipso effectum est, ut, testibus Quatuor Communitatis Nostræ Matriculis, permulta Juvenum & Adolescentum ab Academia Incunabilis millia essent, qui nomina sua in BACCALAUERATÛS Candidatis profiterentur. Nam, nisi numerando hallucinari nobis

A 3 accidit;

70

accidit, vel Sola Quarta ipsarum non centum & triginta unum saltem, sed insuper mille quoque Primæ Laureæ Petitores oculis nostris sub- jicit, intra superiorum quadraginta duorum annorum decursum, ni- mirum inde usque à 29. Martii Anni MDC XVII. Artium & Philoso- phiæ BACCALAUREI solenniter renunciatos. Nunc, puta Beni- vole Lector, quatuor, quinque, sex, septem; nunc octo, novem, de- cem, undecim; nunc duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim; nunc sedecim, septendecim, octodecim, novendecim; nunc unum & viginti, septem & viginti, viginti octo. Aliàs triginta, ut 3. Jul. Anni MDC XXX, ejusque Magni Jubilei Lutheranorum Anni, Decanò M. Wilhelmò Avianò Thuringò, Senatoriæ ad D. Thom. Scholæ Rectore, Promotore M. Andrea Corvinò Westensfeldensi Fr. Oratoriæ P. P. & tunc temporis Magnificò Academiæ Rectore. Interdum triginta septem, utpote 14. Martii Anni MDC XXIX, Deca- nò modò laudatò M. Andrea Corvinò, Promotore M. Gotfridò Ra- spiò Görlicens. Lusatò, Minoris Principum Collegii Collegiatò. Et antea, quippe 6. Martii Anni MDC XIX. Decanò M. Johanne Fride- ricò Wolffeshusiò Fr. Utriusque LL. & Histor. P. P. Majoris Prin- cip. Collegii Collegiatò, Academiæ Decemvirò, & Senator. ad D. Ni- col. Pædagog. Rectore, Promotore M. Johanne Clingerò Lips. SS. Theolog. Baccalaureò, quadraginta quatuor. Quibus profectò plu- res videre à centum & quadraginta annis Huic Universitati non con- tigit, si annum exceperis Millesimum, Quingentesimum, quadrage- simumque octavum. Namque Hic Annus, quo Georgius Joachi- mus Rheticus, Celeberrimus id temporis Mathematicus, Collegii Nostri Decanum agebat, illum MDC XIX Annum, ut tempore, sic & Candidatorum numerò, eoque Denariò antecessit. Tot igitur Pri- mi Nostrorum Graduum Petitores Illa Quarta quadraginta duorum annorum Matricula præsentat, quâ priores evolvere inspicerèque de- nuo si vacasset, illos enimvero Tuos ob oculos proponeremus, quos vel non crederes, vel, si crederes, demiraretis. Etenim, nisi nos a- nimus fallit, offerunt illæ non Nobiles modò, sed Barones etiam, sed Principem etiam, quem non puderet rogare, ut BACCALAUREI Titulò decoraretur. Tanti ergo BACCALAUREATUM Nostrium *αξιόνομαι* æstima- runt, à quibus tantò longiùs plurimi *ὁ ψιγόνων* degenerarunt, quantò majori cum despectui habuere, habent. Quapropter prorsus nihil abesse arbitror, quin hic idem BACCALAUREATUS Noster à quolibet sit Studiosorum expetendus. Si enim, quod decet, expetendum est,

BAC-

85
47

BACCALAUREATUS Noster is est, qui deceat. Si, quod quis adipisci facile potest, expetendum est, BACCALAUREATUS Noster is est, quem quisvis facile possit adipisci. Si quis omnia emolumentis metiens id expetendum putat, quod affert emolumenta, BACCALAUREATUS Noster is est, qui afferat emolumenta. Si quis est denique, qui hoc expetendum autumat, quod permulta Studiosorum millia expetiere, BACCALAUREATUS Noster is erat, quem permulta Studiosorum millia irent expetiturum. Quorum laudabilia vestigia persequi non erubere subsequentes XVI. Juvenes & Adolescentes, nempe

JOHANNES OLEARIUS Halens. Saxo.

PETRUS Oheim Lipsiensis.

JOHANNES SEVERINUS WEISSIUS Cizâ-Misnicus.

BARTHOLOMÆUS BURCHARDI Bôrnensis.

GEORGIUS Haselich Magdeburgens. Saxo.

JOHANNES FRIDERICUS MEISNERUS Quedlinburg. Saxo.

CHRISTOPHORUS PELSIIUS Islebiens. Saxo.

CHRISTOPHORUS Gräse Sulzâ-Thuringus.

JOHANNES DOESNERUS Weissenfelsensis.

JACOBUS Schindler Schneebergâ-Misnicus.

SETHUS CALVISIUS Quedlinburgens. Saxo.

PAULUS STARKIUS Reichenbachensis.

CHRISTIANUS CNORRIUS Rutenâs Silesius.

JOACHIMUS }
GERHARDUS } CORTHUM Bergerdorffensis.

ANTONIUS GÜNTHER HESHUSIUS Oldenburg. Saxo.

70.

Quos ipsos eos decrevimus, qui ab Excellentissimo ac Clarissimo Vi-
ro Dn. M. JACOBO THOMASIO, Orat. P. P. & Minoris Principum
Collegii Collegiato, Collegâ Amicôq; Nostrô Honoratissimo, quem
familiaris Nobis fors ad id destinavit, solenni renunciatione Bona-
rum Artium ac Philosophiæ BACCALAUREI Craftinô, DE O volente,
Die declararentur. Hôc ipso enim dignissimos eosdem Superiori-
bus Dieb. post consuetam censuram judicavimus, ut in quibus abun-
de illa deprehenderemus, quorum præsentiam, executionem atq;
notitiam Primæ Laureæ Candidatorum *et cetera* supra dicebamus.
Quamobrem Magnificum quidem Academiae Rectorem, Reliquarum
Facul-

30

Facultatum Decanos, omnium Professores, Doctores, Licentiatos,
& Magistros universos & singulos pro eo, ac possumus debemusque
rogamus, ut Declarationis Illud jucundissimò & honorificentissimò
conspectu suo condecorare haud dedignentur. Quibus Nos Nostram
omnem curam, cogitationem, & operam in eo posituros promitti-
mus, ut sibi vicissim *παντι* (*Demosthenis verba sunt*) *δένει κατὰ δυνάτην* gra-
tificandi cupidissimos Nos possint pronunciare. Florentissimum
autem Studiosissimæ Juventutis cœtum *ἐθελουθηδόν* Solemnitati Nostræ
interfuturum, in sedecim Illorum Eruditorum Hujus Temporis
Candidatorum vitas tanquam in speculum inspecturum, & sibi ex iis
confimilis imitationis exemplum sumturum omnino speramus. Cui
ὀλοψύχως totòque ex animo hæc apprecamur, quibus ad eam, ad exo-
ptatum Studiosorum suorum successum, ad temporariam suam felici-
tatem, & ad sempiternam suam opus est habiturus salutem.

PP. Lipsiæ sextò Idus Aprilis ANNI
MDC LIX.





De
XVI. BA
DE
COM
ACAD

LITERIS

7.223



Philosoph 46
85
47
M
S
1659
670
15. 4,30
30
PROFIANIS.

